
ANDREAS
CHRISTIANUS
ANALYSIS...
1593
















BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



ANALYSIS

DVORVM PRIORVM CApitum Libri primi de Cœlo, quam in publica disputatione, die 7. Martij defendere conabitur

* *
*

ANDREAS CHRISTIANVS RIPENSIS.

Respondente
SIGVARDO STEPHANO
Islando.




HAFNIÆ
Impreßit Matthias Vinitor.
1593.



SAPIENTIÆ
Cap, 9. ver. 14.

COgitationes mortalium timidæ ſunt, ac noſtræ opiniones fallaces. Corpus enim corruptioni obnoxium aggrauat animam, ac terrenum domicilium plenam curarum mentem deprimit. Ac vix quæ in terra ſunt, conjectura aſſequimur, & quæ in manibus verſantur, cum labore inuenimus: quis autem ea perueſtigauit quæ ſunt in Cœlis?





GENERE, VIRTVTE ET ERVDItione excellentiſsimo Viro, Dn̄o OLIGERO RoſenCrantz, Georgij F. Dn̄o & Fautori ſuo officioſè colendo,

S. D.

ANDREAS CHRISTIANVS RIPENSIS.



Legans & grauis eſt oratio Ariſtotelis, qua, I. de Cœlo cap. 10, diſſerit, qvantam vim habeat ad veritatis perveſtigationem contrariarum ſententiarum collatio, & qvo animo ad eam accedere oporteat. Demonſtrationes, inqvit, contrariorum, qvæſtiones ſunt de contrariis. Inſuper etiam dicenda magis credentur, ſi ſententiarum earum, qvæ in controverſiam veniunt, rationes prius fuerint auditæ. Nam ſic indicta cauſſa condemnari abſentes minus videbuntur. Arbitri enim, non adverſarij eſſe debent ij, qvi diligenter, qvod verum eſt, judicando volunt invenire. Enimvero, cum contraria juxta ſe poſita plurimum ſibiinvicem lucis adijciant: opinionum, falſarum etiam, diſcuſsiones ad veritatis inventionem, perceptionem & fidem maximum afferunt momentum: præſertim ſi ad unicum finem Ariſtotelicum, hoc eſt, veritatem colliment, ab animo non adverſarij, qvi contradicendi & vincendi ſtudio nihil non molitur; ſed arbitri potius, qvi qvantum ſatis eſt operæ & induſtriæ, in cauſsa ejuſqꝫ rationibus cognoſcendis ac dijudicandis collocat. Qvo avtem propoſito ego ad libros Ariſtotelis de Cœlo explicandos accedam, & nunc controverſiæ iſtius nobilis de Cœlo & Elementis, inter Peripateticos & noſtri ſeculi Philoſophos ortæ, diſceptandæ initium, ab ovo, qvod ajunt, faciam, Specimen hoc exile, ad te, tuo nomini, gratæ remunerationis ergò, conſecratum mitto, teſtem produco, te verò, pro eximio ingenij tui acumine, & in Philoſophia Ariſtotelica, exercitatione præclara, judicem facio.

Certè, nisi me animus fallit, spero me in eorum numero abs te habitum iri, qui Aristotelicam docendi disserendiq; rationem suspiciunt, ad scriptorum ipsius lectionem intelligendi discendiq; animo semper, reprehendendi verò nunquam accedunt, adeoq; ab eiusdem sententia haud unquam ne latum ungvem, nisi manifesta veritate aut Sacrosanctæ Scripturæ authoritate compulsi, atq; proinde libertate Christiana pariter & Philosophica freti, recedunt. Cuius generis Aristotelicum te mecum haberi velle imò esse semperq; fore, non obscuram in literis tuis, quas ad me nuper humanitate plenas dedisti, significationem præbuisti. Quod si hæc nostra præludia & primam quasi velitationem tibi aliisq; bonis placere animadvertero, non sinam me ab hoc instituto dimoveri ingratitudine & negligentia, quantumvis magna juventutis nostræ Scholasticæ, cui eiusmodi Philosophemata, & nescio quæ non optima fructuosissimaq;, penitus sordere, non sine acerbo animi dolore, cernimus. Vale felicissimè, meq; qua cepisti benevolentia prosequi perge, grati animi officia, quæ ab imparis fortunæ homine proficisci possunt, quo ad vixero, expectaturus. Dabantur Hafniæ 26. Febr. Anno 1593.



PRI.

PRIMI CAPITIS ANALYSIS.

Primi capitis Analysis



Aturæ quidem ratio & scientia in corporibus ac magnitudinibus, eorumq; & affectionibus & motibus, & præterea in principijs quæ hujus talis naturæ essentiæq; sunt, tota ferè cernitur. Eorum enim quæ natura constant, partim sunt corpora & magnitudines, partim corpore sunt & magnitudine prædita: alia verò principia sunt eorum, quæ illa habent.)

I.

Post traditam in libris Acroamaticis Physicam generalem, descensurus Aristoteles ad specialem, in primo capite, prooemij loco indicat mutilam & imperfectam fore tractationem illam priorem & communem de corpore naturali in genere (quod acroaseos Physicæ subiectum erat) nisi altera specialis subiungatur de singulis corporis speciebus, quæ uniuersi mundi partes existunt.

II.

Idq; faciens primum aliorum, quasi contra se disputantium obiectionem, à perfectione corporis naturalis in uniuersum petitam, recenset: Deinde eandem soluens contrariam sententiam à sublimiore mundi perfectione demonstrat: atq; ita sui instituti in his libris rationem reddit.

III.

Obiectionis summa hæc est: cum corpus naturale, ut perfectum & omnibus suis numeris absolutum est, in genere satis luculenter pertractârit Acroasis Physica, atq; illud totius Physices subiectum sit: verisimile sit isto subiecto plenè considerato, frustra aliam uberiorem de eodem contemplationem subiungi.

 Ad

IV.

Ad cuius euidentiorem declarationem, primum hoc esse subiectum Physices ostendit, deinde eiusdem perfectionem ob oculos ponit.

V.

Nam, quod prius illud attinet, in ijs quæ natura constant, tota ferè naturæ scientia & ratio cernitur, atq; ea partim sunt corpora magnitudinesue, partim corpore & magnitudine, alijsq; affectionibus & motibus prædita, alia verò eorum quæ illa habent principia sunt, quare in his naturalis scientia tota ferè versatur.

VI.

Indeq; consequens est, Philosophiæ naturalis subiectum esse corpus naturale, si modò id cuiusq; scientiæ subiectum est, in cuius affectionibus ac principijs tota illius consideratio occupata est.

VII.

Cæterùm in particula, ferè, seu maxima ex parte, antyhypophora quædam est, qua tacitæ obiectioni occurritur, quoniam de nonnullis in naturali scientia agitur, quæ nec affectiones nec principia videntur corporum naturalium, cuiusmodi sunt infinitum fortè & vacuum, at non alia de caussa, quàm vt reipsa ex Physico agro, in quo perperam iudicantium errore seminata sunt, euulsa reijciantur.

(Ac continuum quidem est, quod diuiduum est in ea, quæ semper & infinitè diuidi possunt: corpus autem id quod omni ex parte secari potest. Magnitudinum verò ea quæ in vnum diuidi potest, linea, quæ in duo, extremitas aut planum: quæ in tria, corpus dicitur.)

VIII.

Pro perfectione corporis naturalis declaranda ostendendaq;, Soriten quendam seu compagem syllogismorum & prosyllogismorum contexit ex corporis definitione, qua continuum omni ex parte diuisibile statuitur, Cui

IX.

Cui defintioni generis, hoc est, continui descriptionem præmittit esse nimirum illud, quod in tales partes diuiditur, quarum successiua diuisio & sectio nunquam terminatur in indiuisibile.

X.

Differentiæ autem explicationem & comprobationem à definitione eius quod omnifariam diuiduum est, statim adnectit.

XI.

Quod tribus dimensionibus diuiduum est, quaquauersum diuiduum est: at corpus eiusmodi est, ergo &c.

XII.

Assumptionem fulcit diuisione. Omnis magnitudo aut in unam, aut in duas, aut in tres dimensiones secatur: corpus est magnitudo, ergo horum modorum aliquo secatur. At nec primo duntaxat, quia sic linea esset, nec secundo, ut superficies, tertio igitur.

(Nec verò præter has alia est magnitudo, propterea quod tribus omnia continentnr, & ter omni ex parte dicitur. Vniuersum enim, & omnia, tribus, quemadmodum Pythagorei tradunt, determinata sunt: quandoquidem finis, medium ac principium vniuersi ac totius numerum complectuntur, quæ eadem illum ternionis continent. Itaq; quod à natura quasi leges illius accepimus, in Deorum etiam sacrificijs hoc numero vtimur. Quinetiam appellandi rationes eodem modo attribuimus. Nam duo ambo, duosq; ambos vel vtrumq; dicimus, omnes non dicimus, sed hoc nomen ad tres primùm accommodamus. Hæc autem, vt dixi, quòd natura ipsa ita inducit, sequimur. Pro-

XIII.

Propoſitio primum roboratur ſufficienti pàrtium enumeratione. Si enim non eſt omnifariam diuiduum, quod in tres menſuras ſecari poteſt, dari oportet quartam aliquam magnitudinem: at dari non poſſe illam, ſed tribus omnes magnitudines contineri & ter omni ex parte dici, tum pēr ſe planum eſt, tum ex ſequentibus planius euadet.

XIV.

Deinde illuſtratur magis quàm demonſtratur triplici ſimilitudine teſtimonio confirmata, à partibus res omnes perfectas conſtituentibus ſecundum Pythagoreos, à partibus ſacrificiorum legibus Ethnicorum ceremonialibus ſancitis: à conſuetudine loquendi vulgo recepta, in uſurpandis vocabulis omni, toto & vniuerſo.

(Ita quoniam omnia, vniuerſum, & quod perfectum eſt non ſpecie inter ſe differunt, ſed materia tantum & ijs de quibus dicuntur, ſi fortè differant: profectò corpus ſolum perfecta erit magnitudo, quippe quod vnum tribus determinatum finitumq́ ſit, in quo vninerſi ratio conſiſtat. Cum autem tribus modis diuidi poßit, quaquauerſus diuiduum eſt: aliarum verò magnitudinum quædam vna ex parte, alia ex duabus. Vt enim numerum aſſecutæ ſunt, ſic etiam diuiſionem atq́ continuationem. Alia enim vna ex parte continua eſt, alia ex duabus, quædam omni ex parte talis eſt.)

XV.

Iactis fundamentis, rationem principem & quidem geminam de cuiuſuis corporis qualicunq́ integritate & perfectione ſuperſtruit.

Prior

XVI.

Prior quidem in his verbis eſt: Quicquid trifariam ac proinde in omnes partes diuiduum eſt, illud quoq; perfectum eſt: at ſolum & omne corpus ſic ſe habet: ergo illud ſolum & omne eſt perfectum.

XVII.

Propoſitio hinc liquet, quòd omnia, uniuerſum & perfectum non differant ſpecie, ſed materia duntaxat & ijs de quibus enunciantur, ſi fortè differant. Iam verò quod trifariam atq; ita undiquaq; diuiduum eſt, omnis & uniuerſi rationem habet (quod argumento à cognatis docetur. Nam ut trifariam & undiquaq; in idem recidunt, ita etiam in tribus, quantum ad hoc attinet negocium, omnis & uniuerſi ratio conſiſtit) ergo idem quoq; cum perfecto coincidet.

XVIII.

Hanc rationem amplificat Ariſtoteles per Anthitheſin, ſeu cōparationem aliarum magnitudinum cum corpore, in partium ſeu dimenſionum numero, modiſq; continuationis & diuiſionis.

(Omnes quidem magnitudines diuiduæ, continuæ etiam ſunt, & cohærentes partes habent. An autem continuæ omnes ſecari poſsint, nondum ex his quæ modò dicta ſunt perſpici poteſt.)

XIX.

Ad poſteriorem rationem viam ſibi munit interpoſita aduerſus priorem inſtantia. Nam cum obijci poſsit, definitionem illam continui, quæ primum iſtius rationis & præcipuum firmamentum erat, non ſatis ſtabilitam eſſe, niſi compertum ſit omne continuum eſſe diuiſibile: ac proinde totam hanc argumentationem infirmam videri: fatetur Philoſophus aliunde eius rei fidem & lucem petendam eſſe, atq; mox aliam pro eadem re docenda demonſtrationem ſubſtituit.

(Sed illud perspicuum est, corpus in aliud genus, vt longitudinem in latitudinem, aut latitudinem in corpus, non posse transferri: neq́ enim perfecta & absoluta jam esset talis magnitudo: præsertim cùm necesse sit illum à natura discessum, ex eo quòd aliquid desit, existere, & ei quod perfectum est, quoniam omnibus suis numeris & partibus est absolutum, nihil deesse poßit.)

XX.

Quod in aliud genus perfectius migrare nequit, id perfectum est. Sed perspicuum est corpus non migrare in aliud genus, quemadmodum longitudinem in latitudinem, & latitudinem in corpus transferri addita dimensione ponitur. Corpus igitur perfectum esse perspicuum est.

XXI.

Propositio ducta ratione à natura contrariorum manifesta redditur. Nam vt id quod transfertur ac migrat additionem alicuius sustinet, & cui quid additur, ei desit aliquid oportet, cui verò deest quippiam, id imperfectnm esse consentaneum est: ita vice versa, quod non transfertur, nullam patitur adiectionem, nullaq́ parte deficit, sed omnibus numeris & partibus absolutum perfectumq́ est.

(Ac singula quidem corpora quæ in partis specie habentur, quod ad rationem corporis attinet, huiusmodi sunt. Omnes enim habent dimensiones: sed eius quod proximum est, tactu definiuntur, ideoq́ corporum unumquodq́ quodam modo est multa.)

XXII.

Hactenus sub persona aduersarij obiectionem recensuit Aristoteles, nunc verò eidem respondet suam ac veriorem sententiam adducturus. In qua responsione collationem facit perfectionis istius, quæ in quouis, etiam particulari, corpore spectatur, cum illa quæ uniuersi mundi est.

XXIII.

Collationis huius Protasis in his verbis bipartita est, primo enim corpori particulari uno quopiam modo perfectionem largitur, in quantum scilicet rationem corporis habet, hoc est, omnibus dimensionibus constat, ut in aliud magnitudinis genus migrare nequeat: Deinde altero modo eidem perfectionem adimit, in quantum alterius, quod proximum est, tactu determinatur, ut sic additionis & pluralitatis capax sit, quod à perfecti natura alienum videtur.

(Vniuersum autem & totum cuius hæ sunt partes, perfectum sit necesse est, & quemadmodum nomen significat, omni ex parte, non quadam ex parte absolutum, ex altera autem inchoatum.)

XXIV.

Antapodosis melioris sententiæ assertionem habet, utroque modo perfectum esse uniuersum mundum, ut nomen ipsum præ se fert, cum & dimensionibus omnibus diuiduum sit, & nullius tactu definiatur.



SECVNDI CAPITIS ANANYSIS.

(Ac de vniuersi natura, vtrum magnitudine infinita & immensa sit, anne finita tota, post videndum erit. De eius autem partibus, quæ species efficiunt & complent, nunc hoc ducto principio dicamus.)

I.

Dubitatione de mundo, finitusne an infinitus sit magnitudine, quæ ex postremis præcedentis capitis verbis hauriri poterat, in commodiorem locum reiecta, ex ijsdem concludit deinceps de partibus uniuersi speciatim dicendum esse, id quod & primi capitis scopum, & subsecuturæ Physices Aristotelis propositionem esse, haud obscurum est.

(Omnia enim corpora, & magnitudines, quæ natura constant, per se loco moueri posse dicimus. Naturam enim eis censemus principium motus ac fontem esse. Motus porro omnis, quo per locum quid mouetur, quam φορὰν vocamus aut rectus est, aut in orbem circumq; fertur, aut ex his mixtus & concretus est. Quoniam hi duo soli sunt simplices. Id caussæ est, quòd hæ etiam magnitudines simplices solæ sunt, recta & rotunda linea. Ac is quidem in orbem fertur, qui circum medium voluitur, rectus qui in sublime, deorsumq; fertur. In sublime autē ferri dico eum qui à medio, deorsum verò eum qui in medium fertur. Ita necesse est motum omnem simplicem alium à medio, alium in medium, quendam circum medium

ferri. Id quod ijs quæ initio dicta ſunt, eſſe conſentaneum videtur. Nam & corpus tribus abſolutum eſt, & eius motio.)

II.

Quoniam doctrinæ & naturæ ordine concretorum contemplatione prior eſt corporum ſimplicium cognitio, horum naturam & affectiones hiſce libris, de Cœlo inſcriptis, inueſtigaturus Ariſtoteles, initium facit à Cœlo, quòd illud vel eſſentiæ & motus dignitate, vel natura prius ſit, vel doctrinæ luce reliqua ſimplicia antecedat.

III.

Sed futuræ iſtius diſquiſitionis in priore capitis parte fundamenta ponens, à genere ad ſpeciem, ut methodi decet artificem, pulchrè progreditur.

IV.

Primum enim corpora naturalia deſcribit, quòd naturam in ſe motus principium habeant, ac proinde loco moueri apta ſint.

V.

Deinde eadem diuiſurus, motus localis differentias, ex quibus corporum diſcrimina petenda ſunt, declarat, tum diſtinguendo & definiendo, tum probando.

VI.

Primæ autem motus localis differentiæ ſunt ſimplex & rectus. Simplex verò in rectum & circularem diducitur, eo quod duæ tantum ſint magnitudines ſimplices, in quibus iſtud genus motuum cernitur, recta ſcilicet & rotunda linea.

VII.

Circularis definitur is, qui circum mundi medium voluitur, rectus verò quo ſurſum aut deorſum itur. Eſt enim is duplex.

VIII.

Surſum ferri dicitur, qui à medio mundi proficiſcitur, deorſum qui ad idem medium pergit.

IX.

Vnde colligitur ternario numero comprehendi omnes motus ſimplices (quemadmodum ſuperius corporis dimenſiones) nec plures eſſe eius generis lationes, quam à medio, ad medium & circum medium.

(Quoniam autem corporum alia ſimplicia ſunt, alia ex his concreta (ſimplicia autem voco ea quæ motus principium habent natura, vt ignis, vt terra, eorumq́; genera, & quæ eiuſdem quo hæc ſunt generis :) motus etiam alij ſimplices ſint, alij mixti quodammodo neceſſe eſt, ita tamen vt ſimplicium ſimplices ſint, mixti autem eorum quæ concreta ſunt, quæ eadem moueantur eo quod in illis dominetur & vincat.)

X.

Poſitam motus diuiſionem corporibus accommodans, cùm ſenſibus obuium ſit corporum alia ſimplicia alia compoſita eſſe & concreta : hiſce mixtos, illis ſimplices motus adſcribit, atq; ita partitionem Phyſices ſpecialis, quaſi aliud agens, ſubindicat.

XI.

Sed quia de ſimplicibus priore loco acturus eſt, ea diſertè deſcribit : quòd videlicet ſint illa, quæ ſimplicis motus principium habent ſecundum naturam, ſuam nempe unicam illam ſimplicem & propriam.

XII.

Interim difficultati incidenti occurrit, quòd in concretis etiam corporibus ſimplices ſpectentur motus : reſpondendo, ſi quis motus ſimplex concreto corpori conueniat, cum ſimplici in concre-

concretione reliquorum componentium vim superanti acceptum referri debere.

(Quod si motus simplex in rerum natura est, simplex autem is est, qui in orbem incitatur, & simplicis corporis (si enim concreti sit, ex eo quod superat erit) corpus aliquod simplex sit necesse est, quod suapte natura, eo motu qui circum medium fertur cieatur. Vi enim alio atq; alio cieri est, naturâ non potest, siquidem unicuiq; simplicium corporum natura unum motum attribuit.)

XIII.

Iis quæ generatim de corpore simplici dici poterant, breuiter in priore capitis parte prælibatis, ad ordinatam specierum contemplationem progrediens, & ab eo corpore, quod circulariter fertur, hoc est, cœlo principium ducens, non tam quæ sit, quàm quæ non sit, eius natura exponit.

XIV.

Cuius expositionis partem primam & generaliorem capitis huius posterior pars complectitur, qua in id potissimum incumbit, ut fidem faciat Cœlum esse corpus aliquod quintum, præter ea quæ circa nos sunt elementa, ab ijs tanto præstabiliore natura separatum, quanto longius ab illis dissitum est.

XV.

Atq; id quidem hac primaria ratiocinatione. Cuicunq; corpori competit solus motus circularis naturaliter & primò, illud ab elementis inferioribus seiunctum est, & præstantiore, quàm illa, natura præditum: At Cœlo motus iste, eo quo dictum est modo, competit, ergo &c.

XVI.

In cuius propositione confirmanda dum occupatur Philosophus, duo ostendit, primò quidem corpori alicui simplici naturalem

turalem esse hunc motum, deinde illud simplex non esse elementum ullum, sed aliud quoddam corpus.

XVII.

Prius illud in hoc contextu directa quadam demonstratione patefacit. Si circularis motus simplex est, simplex quippiam corpus esse necesse est, quod suapte natura eo solo motu ferri aptum sit; Sed prius est, ergo & posterius.

XVIII.

Huius connexi (assumptum ex præcedentibus perspicuum est) veritas duabus nititur hypothesibus. 1. Simplex motus simplicis corporis est, non compositi, nisi compositum moueatur secundùm elementum prædominans. 2. Vnius corporis simplicis vnus tantum est simplex motus secundũm naturam, licet alius atq; alius esse posit violentus & aduentitius.

XIX.

In quibus duæ sunt Anthypophoræ duabus latentibus dubitationibus oppositæ, quarum prior cum sua subiectione ex præcedentibus resumitur.

XX.

Altera est, quòd sensuum testimonio constet, simplicia corpora alio atq; alio motu cieri, ac propterea non sequatur, dato motu circulari simplici, esse aliquod corpus, quod eo solo suapte natura agitetur.

XXI.

Cui occurrit distinctione motus, & fieri quidem posse concedit, ut motus violentus simplicis corporis varius sit & ad aliud atq; aliud corpus accommodetur, naturalem verò uniuscuiusq; corporis simplicis motum unicum necessariò existere asserit.

(Præterea si motus qui alienus est naturæ, ei qui naturalis est, repugnat, & vnum vni contrarium est, necesse erit eum motum qui in orbem fertur, quoniam

simplex

ſimplex eſt, niſi ſit naturæ corporis quod mouetur accommodatus, ab illius natura abhorrere. Si ergo ignis aut aliquid aliud eorum quæ ſunt eiuſdem generis, in orbem feratur, contrarius erit motus eius naturalis ei qui in orbem circumq; voluitur. At vnum vni contrarium eſt: & motus qui ad ſuperiora fert, ei qui deorſum, repugnat. Sin aliud eſt corpus quod in orbem contra naturam incitetur, aliquis erit alius motus eius naturæ accommodatus: quod fieri non poteſt. Si enim is eſt qui ad ſuperiora fert, ignis erit aut aër: ſi is qui ad infimum locum, aqua vel terra.)

XXII.

Directæ demonſtrationi & ſimplici, ſubiungitur alia quæ ad incommodum ducit. Si motus circularis non eſt naturalis ſimplici alicui corpori cui ineſt, erit certè eiuſdem naturæ alienus. Nam cùm de ſimplici motu ſermo ſit, inter naturalem & naturæ alienum repugnantia eſt medij expers: unde fit, ut de quauis motus ſimplicis alterum efferri oporteat. Sed non eſſe poſterius, abſurdum quod ex ipſo ſequitur docet, ergo & prius illud abſurdum eſt.

XXIII.

Etenim corpus illud, quod motu circulari naturæ contrario cietur, aut elementum aliquod fuerit, aut aliud quippiam corpus.

XXIV.

Si prius aſſerueris motus iſtius elementi naturalis rectusq; circulari contrarius ſtatuetur, quod fieri non poteſt, cùm unum uni contrarium ſit, & is motus qui deorſum fert, ei qui ſurſum, repugnet.

XXV.

Sin posterius sumpseris, alium ei motum simplicem, tanquam naturalem adscribas necesse est, quod itidem impossibile est. Nam si is fuerit, quo sursum res fertur, erit ignis aut aër, si is quo deorsum, aqua aut terra: id quod hypothesi contradicit.

XXVI.

Sic igitur planum factum est corpus aliquod simplex esse, quod suapte natura circa medium versetur, illud autem non esse ignem, aërem, aquam aut terram, sed quintum aliquod corpus, illis prius præstantiusq;, tribus sequentibus rationibus, palàm faciet Aristoteles.

(Atq; etiam primus sit hic talis motus necesse est, Quod enim perfectum est, eo prius est naturâ, quod imperfectum est & inchoatum. At circulus perfectus est, recta autem linea nulla : quoniam nec infinita quidem & immensa, finem enim & terminum haberet, nec ulla finita : abest enim aliquid omnibus, quippe cum quæuis augeri produciq; poßit. Ita si motus prior antiquiori naturæ ordine corpori tributus est, & is qui in orbem fertur, recto prior est, & is quo aliquid rectis lineis mouetur, simplicium est corporum (ignis enim rectis lineis superiora capeßit, terrena autem pondere suo deorsum mouentur ad medium) conuersio etiam alicuius simplicium corporum sit necesse est. Motum enim eorum, quæ ex pluribus naturâ iuncta sunt, ab eo simplici corpore, quod maiorem vim in concreto haberet dicebamus euenire. Ex

quibus perspicuum est, naturam quandam esse corporis præter eas quæ hîc sunt, quæ his omnibus & diuinior sit & prior.)

XXVII.

Prima ratio. Motus simplex recto prior, corpori simplici priori quam sunt ea quæ recto motu aguntur, hoc est, elementa, competit. Motus autem circularis prior est recto: quod ex circuli cui is motus inest, conditione elicitur.

XXVIII.

Nam cum illud quod perfectum est, eo quod imperfectum & inchoatum est, prius existat: atq; ut nulla linea recta siue immensa siue finita ponatur, perfecta est, quod utriq; aliquid absit: (hæc enim augeri produciq; potest, illa autem fine caret) ita circulus contraria ratione perfectus est: merito suo rectâ lineâ circulus prior est, & consequenter motus circularis qui ipsi inest & adiungitur, motu recto prior est.

(Quod si quis etiam hoc sumat, motum omnem aut naturalem esse, aut naturæ alienum: & qui alicuius naturæ sit alienus, alteri naturalem esse: quod quidem fit in eo qui in sublime fert, & in eo qui deorsum, quorum ille igni, ille terræ tum naturalis est, tum non naturalis: necesse est etiam eum motum qui circum medium fertur, quoniam his est non naturalis, alicui alij naturalem esse.)

XXIX.

Secunda ratio. Quicunq; motus uni corpori contra naturam inest, alteri secundùm naturam inest. At circularis motus hisce elementis inest contra naturam, ergo alteri corpori ab ijs diuerso naturalis est.

XXX.

Pro dato enim & confesso sumimus, quod ad assumptionem confirmandam facit, omnem motum aut naturalem esse aut naturæ alienum, unde cum circularis elementorum motus, naturæ illorum non sit conueniens (rectus enim ijs secundũm naturam attributus est, ut igni sursum, terræ deorsum: nec plures motus uni simplici corpori à natura asignari possunt, ut superiùs dictum est) necessariò consequitur illum naturæ elementorum alienum esse.

(Præterea si natura motum eum, qui in orbem voluitur, alicui tribuit, perspicuum est corpus esse quoddam eorum quæ simplicia & prima sunt, quod ut ignis in sublime, & terra deorsum fertur, sic illud in orbem natura sua incitetur. Quod si contra naturam feruntur ea quæ circum medium torquentur, profectò mirum est, & omnino absurdum, hunc unum motum, qui sit & continuus & perennis, naturæ alienum esse: præsertim cùm in alijs rebus ea quæ contra earum naturam sunt, celerrimè interire ac concidere videantur. Ita si, vt nonnullis placet, ignis est qui ita fertur, nihilo minus eius naturæ alienus esset hic motus, quàm is quo deorsum ad medium mouetur. Ignem enim supera rectis lineis petere videmus.)

XXXI.

Tertia ratio. Aut elementa aut quintum corpus circulari motu naturaliter incitatur, at non illa: ergo hoc.

Nam

XXXII.

Nam pro rato (ſi quis adhuc de propoſitione ambigit) ha- betur, ſimplici alicui corpori naturaliter ineſſe hunc motum, & præter iſta non eſſe ullum corpus ſimplex.

XXXIII.

Simplici, dico, quia ſimplex eſt motus, ut terræ deorſum, igni ſurſum, naturaliter verò ineſſe, quia cum violenta omnia ce- lerrimè concidere & interire cernantur, isq; unus motus non intereat ſed perpetuus ſit, fieri non poteſt ut ſit violentus.

XXXIV.

Elementa autem circa medium non ferri naturaliter, vel unus ignis (de quo ſolo controuerſia eſſe videtur) teſtis eſt, quia is naturalem motum ad ſuperiora ſeu à medio ſortitus eſt, præter quem alium habere nequit naturalem. atq; idem eſt de reliquis iudicium.

(Quocirca ſi quis ex his omnibus argumentum ducat, eaq; conſideret, is profectò intelliget, eſſe præter hæc uſitata corpora quoddam aliud ſeiunctum ac ſecre- tum, quod eo præſtantiore natura præditum ſit, quo longius ab his noſtris remotum eſt.)

XXXV.

Poſitis & demonſtratis omnibus ijs quæ dicta ſunt hactenus in epilogo colligit eſſe aliud quippiam corpus præter illa ſimpli- cia, quæ hîc & circa nos ſunt, ſeiunctum ac tanto excellentio- rem naturam habens, quanto longius ab iſtis diſtat: quod de- monſtrandum ſibi propoſuerat Ariſtoteles.



QVÆSTIONES EX PRÆdictis capitibus deductæ.

I. Sit ne totius Physices subiectum corpus naturale?

II. Librorum, qui de Cœlo inscribuntur, quodnam sit subiectum, mundus ne vel cœlum, an verò corpus naturale simplex?

III. An continuum omne diuisibile sit in semper & infinitè diuisibilia?

IV. Recténe dici poßit mundus aliqua ratione imperfectus?

V. Vtrum omnis motus simplex corporis simplicis sit & viceuersa?

VI. An motus concretorum ab eo simplici quod in concretione dominium obtinet, proficiscatur?

VII. An vnicus motus vnicuiq; corpori simplici à natura attributus sit?

VIII. Vtrum Cœlum sit corpus simplex?



HAFNIÆ
IMPRESSIT MATTHIAS
VINITOR.

M. D. XCIII.

